



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Brevis Expositio Propositionum Damnatarum

Didacus <ab Aragonia>

Venetiis, 1728

Beneficium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42653**



## B E N E F I C I U M.

36. **Q**uæritur. An sit contra iustitiam beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quando collator, pecunia interveniente, illa conferens, non exigit pretium pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur?

Resp. esse contra iustitiam, ut constat ex decreto Alexandri VII. damnantis propositio- nem 22. Ratio est, quia beneficii collator tenetur gratis illud conferre quantum est, sicut iudex ex iustitia tenetur integram litem adjudicare, & eleemosyna integra est distribuenda ex voluntate testatoris, nam ex vi proprii muneris hæc omnia gratis dispensanda sunt, cum actio, quæ debetur ex iustitia, non sit pretio æstimabilis.

57. Quæritur. An collator beneficii in prædicto casu peccet tantum contra iustitiam, an etiam sit Simoniacus?

Resp. Esse etiam Simoniacum, ratio est, quia reverà beneficium vendit, quamvis ore tenus dicat, vendere arbitrium, atque adeò divino simul, ac naturali jure ad restitutionem tenetur, & peccat tum contra Religionem, tum contra iustitiam.

58. Quæritur. An licitum sit electori accipere munera oblata ad alliciendum animum, ut tibi potius, quàm alteri beneficium conferat?

Resp. Esse non solum contra leges positivas, sed etiam contra legem naturalem accipere talia munera (nisi sint parvi valoris, quæ censeantur dari omninò liberaliter, ita ut donans non censeatur conqueri, si de-  
indè



indè alteri favor tribuatur, quod etiam in praxi est valdè periculofum, & vitandum) quare si eo animo accipiantur ab electore mediatè, vel immediatè, ut ad huiusmodi favorem conferendum implicitè obligatio contrahatur, datur onus restituendi, tam si denegetur, quàm conferatur favor, non fecus ac mutator, si munera accipiat eo animo, ut velit implicitè ex iustitia obligari ad mutuum dandum.

50. Quæritur. An possit collator beneficii accipere aliquid à tertia persona, ut conferat beneficium uni præ altero?

Resp. Esse distinguendum; si enim illa tertia persona pecuniam conferat in gratiam ipsius collatoris beneficii, ut nimirum inducat illum ad satisfaciendum obligationi ex iustitia, puta ad conferendum beneficium, prout debet, ne peccet contra iustitiam, & ne se exponat periculo infamix, ac pœnæ, potest illa retineri; si vero conferat aliquid in gratiam creditoris, ut illi satisfiat, & multò magis si conferat in gratiam fortis, ut illi potius, præ altero beneficium conferatur, retineri pecunia non potest, ratio est, quia in eo casu vendetur res ex iustitia debita, nam sive accipiatur pecunia à creditore, sive ab alio, qui partes gerit creditoris de materialise habet.

60. Quæritur. An dispositio Concilii Trident. circa collationem beneficiorum dignioribus, loquatur de beneficiis simplicibus, & nullam curam animarum habentibus?

Resp. Quamvis Trident. solùm loquatur de Episcopatibus, & Cardinalatibus, dum dicit eos conferendos esse dignioribus, quia tamen eadem est ratio de aliis bene-



ficiis, præsertim curatis, necnon de beneficiis simplicibus majoris momenti, ut sunt Canonicatus, Præbendæ, Præposituræ, Decanatus &c. Idcirco dicendum peccari mortaliter, quoties digniores non eliguntur, nisi parvitas materiæ excuset, hinc nonnulli censent, solum posse à mortali excusari, si collatio alicujus beneficii simplicis tenuis fiat digno, omisso digniori, dummodo hoc raro admodum, & non frequenter fiat.

61. Ex quibus fit primò, post *propositionem 47. ab Innoc. XI. damnatam*, non posse amplius sustineri sententiam illam docentem, Pontifices, ac Reges esse exemptos ab obligatione promovendi digniores ad Cardinalatum, Episcopatum, Prælaturas &c.

62. Sequitur 2. quod si conferenda sint duo beneficia, alterum Curatum, quod tenues habeat redditus, alterum simplex pinguis, & concurrant duo, quorum alter sit minus dignus, sed magis idoneus curæ animarum, alter dignior, sed minus utilis Ecclesiæ, tunc beneficium Curatum conferri debet illi minus digno, utpotè magis idoneo, & beneficium simplex huic digniori, cum hoc postulat zelus animarum, cui debent omnia temporalia subordinari.

63. Sequitur 3. quod si concurrant ad beneficium tres, nempe dignior, dignus, & indignus, & major pars electorum velit excludere digniorem, & nisi conferatur digno, eligent indignum, tunc licitè potest eligi dignus, omisso digniori, cum hoc sit magis utile Ecclesiæ; & eodem modo, si concurrant tres, dignus, indignus, & indignissimus, & major pars electorum velit excludere dignum, & nisi eligatur indignus, potius

tius



tius eligent indignissimum, tunc probabiliter potest eligi indignus in bonum Ecclesiæ, & quamvis nonnulli probabiliter doceant; esse intrinsecè malum eligere indignum, atque adeò in nullo casu licere, e tiam si id fiat ad pejora mala vitanda.

64. Sequitur 4. posse eligi dignum, omisso digniori, quando dignus est magis utilis, vel quia est magis sedulus, vel magis expertus, vel minus distentus extraneis curis, vel aliis de causis.

65. Sequitur 5. ad Prælaturam regularem utiliore, un docent *Communissimè DD.* Contra paucos improbabiliter putantes, non militare eandem rationem in Episcopatu, aut alio beneficio Curatò, ac in Prælatura regulari, eo quòd hæc non sit perpetua, & facilè possit occurri incommodis mutando superiorem, hæc tamen disparitas est nulla, quia si superior est dignus, non debet, nec potest intra tempus præscriptum mutari, si verò non est dignior non potest præcavere culpas, & transgressiones eo modo, quo præcaveret dignior, & utilior regimini, & curæ animarum, undè eadem incommoda oriuntur in utroque casu, si eligatur dignus, omisso digniori, atque adeò in utroque casu peccant mortaliter electores alienis culpis communicando; idem prorsus dicendum de nominantibus, seu præsentantibus capitulo, vel Congregationi dignos, omittis dignioribus, ac utilioribus ad Prælaturas, ut sunt Prioratus, Guardianatus, Rectoratus &c. Neque obstat, quod Prælatura regularis non sit perpetua, nam si licitum est ad annum, vel ad triennium eligere indignum,



vel etiam dignum omisso digniori, licebit ad aliud etiam triennium, ac semper, & ideo semper haberetur Pastor minus idoneus ad oves pascendas, & ad inobservantias præcavendas, quod est culpa electorum gravissima; Præterquam peccatur contra justitiam distributivam, acceptando personas in distributione istarum Prælaturarum quæ licet à Religiosis expeti non debeant, nec sint institutæ per se in præmium meritorum, nihilominus elector attendere etiam debet ad merita Religiosorum, quoties id fieri potest sine præjudicio publicæ utilitatis.

66. Sequitur 6. quod præsentati, seu electi mortaliter peccent, si certò scientes, se esse indignos, vel minus dignos in conflictu digniorum, Prælaturas non abdicaverint, cum saltem se exponant evidenti periculo illas malè administrandi, & ex malo eorum regimine plurima oriantur incommoda, relaxationes, & scandala?

67. Quæritur. An Patronus Laicus teneatur eligere seu præsentare digniorem ad Cardinalatum, Episcopatum, curam animarum &c.?

Resp. Affirmativè, nam Patronus Laicus jure naturali tenetur eligere, seu præferre illum, qui habeat omnia requisita ad talia munera ministranda, si talem inveniat; quod si præfatus Patronus non possit certò scire, hunc, quem eligit, seu præsentat, habere omnia requisita, debet eligere, seu præsentare eum, quem videt propius accedere ad eam perfectionem, atque adeò digniorem, & contra hanc obligationem juris naturalis nulla prævalet consuetudo.

68. Quæ-



68. Quæritur. An si immediatè post concursum, & examen factum ad Parochiam invenerit Episcopus aliquem digniorem reliquis oppositoribus, teneatur eos omnes deserere, & eligere eum, qui denuò inventus est dignior?

Resp. Dato quod aliquando casus contingat, non tenetur Episcopus eligere illum repertum digniorem extra concursum, obligatio enim eligendi digniorem intelligitur sine violatione contractus initi cum concurrentibus, dummodo illi sint digni, & ex illis eligatur dignior, sic enim intelligendum est jus naturale circa electionem dignioris.

69. Quæritur. An qui resignat beneficium Curatum in favorem alterius teneatur resignare in favorem dignioris, vel an sufficiat, quod resignet in favorem digni?

Resp. Resignatorem quærere debere digniorem, nam charitas boni communis exigit, ut provideatur saluti animarum meliori modo, quo possit, hæc tamen obligatio non nascitur ex justitia distributiva, sed ex charitate, & desiderio salutis animarum, quod beneficiarius habere debet.

70. Quæritur. An præsentans, vel eligens dignum, omisso digniori, ad beneficia præsertim curata, peccet contra justitiam commutativam, & teneatur ad restitutionem?

Resp. Teneri ad restitutionem digniori, quando fit concursus; si verò electio minus digni fiat extra concursum, tunc proculdubio facienda est restitutio, seu compensatio damnorum, quæ ex tali electione patitur communitas, eo quod elector teneatur ex proprio munere, atque adeò ex



contractu præcavere damna Communis, eligendo digniores ad regimen.

71. Quæritur. An si quis suo pravo consilio, aut auctoritate inducat electores ad prætermittendum digniorem, teneatur huic damna compensare?

Resp. Non teneri, sicut non tenetur damna compensare pauperi, qui pravo suo consilio inducit divitem ad ei denegandam eleemosynam, cum pauper non habeat jus ad illam; contra verò, qui mendaciis, fraudibus, minis, vel malis artibus inducit electores ad prætermittendum digniorem, tenetur huic damna compensare, quia unusquisque habet jus ne malis artibus impediatur sibi bonum, quod potest obtinere ex alterius arbitrio, ac propterea violaretur in hoc casu justitia commutativa.

72. Quæritur. Qui digniores dicantur?

Resp. Non dici digniores illos, qui doctiores, aut nobiliores fuerint, sed qui omnibus bonis dotibus animi, & corporis consideratis, Ecclesiæ utiliores futuri esse creduntur.

### BULLA CŒNÆ.

73. Quæritur. An vera sit illa opinio asserens, Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, necnon talem sententiam anno 1629. die 18. Julii in Consistorio Sanctæ Congreg. Eminentiss. Cardinalium visam, & toleratam fuisse?

Resp.